



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. XI. Vtrum solus Episcopus hoc Sacramentum conferre possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS XI.

Utrum solus Episcopus hoc Sacramentum conferre possit?

AFFIRMAT; quia pertinet ad duces assumere in militiam: præterea hoc Sacramentum est perfectiū; igitur eius administratio pertinet ad eos qui habent virtutem perficiendi, quales in Ecclesia sunt Episcopi.

DVBIVM I.

Utrum solus Episcopus sit ordinarius minister huius Sacramenti, necessarius ad eiusdem Sacramenti substantiam?

VICIEFFVS insinuat simplicem sacerdotem etiam sine vlla commissione posse validè hoc Sacramentum ministrare, vt potest colligi ex art. 28. damnato in Concilio Constantensi sess. 8. Caiet. quamuis præfenti art. censet irritam collationem Confirmationis, quam simplex sacerdos sua auctoritate attentat, nihilominus in cap. 8. Aet. insinuat sacerdotes ex suo gradu posse hoc Sacramentum conferre, atque adeo solum ex præcepto referuari Episcopis collationem Confirmationis.

Ante hos etiam Photius Patriarcha Constantinopolitanus censuit simplicem sacerdotem esse ministrum ordinarium Sacramenti Confirmationis, vt refert Petrus Arcudius de concordia Ecclesiarum Occidentalis & Orientalis in Sacramento- rum administratione, lib. 2. cap. 11.

Sed de fide est ministrum ordinarium huius Sacramenti esse solum Episcopum; traditur in Flor. vbi dicitur, ordinarius minister est Episcopus, quo loco licet non ponatur particula exclusiua, sensus tamen & materia subiecta eam postulant. nam cum Concil. velit tradere, quis sit minister, censetur ita tradere, vt nullus præter designatum possit ordinari hoc Sacramentum conferre: quod expressè tradit Concil. Trident. sess. 7. can. 3. de Confirmatione his verbis: *Si quis dixerit sancte Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem sacerdotem, anathema sit.* & sess. 23. can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteri superiores, vel non habere potestatem confirmandi, vel ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem &c. anathema sit.* idem patet ex pluribus Pontificibus & Patribus relatis art. 1. dub. 1. patet etiam ex Actis Apostolorum, vbi de solis Apostolis legitur quod per manus impositionem darent Spiritum S.

Dices Apostolos non tantum fuisse Episcopos sed etiam sacerdotes; non constat autem quod manus non imposuerint, vt sacerdotes. Confir. omnes sacerdotes eo tempore erant Episcopi.

Resp. Innocentium 1. epist. 1. cap. 3. Hieron. dialogo aduersus Luciferianos, Innocent 3. cap. vnico de sacrâ vnctione §. *per frontis chrismationem*, Florent. suprâ, colligere solis Episcopis competere ministrare Sacramentum Confirmationis, eo quod Apostoli manus imponent; quæ deductio esset illegitima, si manus impositio non fuisset reseruata Apostolis tanquam Episcopis. Confir. ex eo quod Apostoli Sacramentum penitentiae ad-

ministrarint, nullus Pontifex vel Concilium colligit id ad solum Episcopum pertinere; cum ergo ex facto Apostolorum colligatur esse muneris episcopalis ministrare Confirmationem, optimè deducitur eos tanquam Episcopos hoc Sacramentum ministrasse. nec infirmatur argumentum, quod tunc forte omnes sacerdotes fuerint Episcopi, quanquam id non sit certum: nam Apostolus 1. ad Timoth. 5. cap. dicit: *aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*, vbi nomine presbyteri significat sacerdotem, vt colligi potest ex præcedentibus, & agit de sacerdote non Episcopo; ergo incertum est quod initio non fuerint sacerdotes non Episcopi, immò verius est aliquos fuisse; nam saltem aliqui ex 70. discipulis fuerunt sacerdotes simplices, vt apertè supponit Ioannes 3. & Leo epist. 88.

Eadem veritas constat perpetuo vsu Ecclesiæ.

Sed cum ita sit videtur restare difficultas, num ordo episcopalis requiratur necessitate Sacramenti, an solum præcepti? ex his enim non videtur aliud haberi, quam in genere simplicem sacerdotem non posse hoc Sacramentum ministrare, quod potest esse verum quamuis id non oriatur ex necessitate, sed ex sola prohibitione. Nihilominus

Dico ordinarium ministrum etiam necessitate Sacramenti esse Episcopum, ita vt si simplex sacerdos aliquid propria auctoritate attentet, totum sit irritum.

Probatur 1. ex Concil. Florent. quod ex modo loquendi satis declarat se agere de ordinario ministro ad substantiam Sacramenti necessario, nec ex aliquo anteriori Concil. vel Pontifice habemus, quod verba huius Concilij in alium sensum sint accipienda.

Confir. eodem modo loquitur de ministro, quo de materia, & formâ, quas constat ad substantiam Sacramenti requiri. 2. agit de illo ministro, cuius intentionem in superioribus docuit requiri vt perficiatur Sacramentum. 3. eodem modo accipienda sunt verba Concilij Trident. citata: quod Concil. clarius idem docet sess. 23. cap. 4. vbi docet Episcopos Confirmationem conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. quibus verbis non tantum docet id esse prohibitum simplicibus presbyteris, sed eisdem carere potestate.

Probatur 2. ex summis Pontificibus: Eusebius epist. 3. ad Episcopos Tusciæ & Campani id apertè tradit his verbis: *Manus impositionis Sacramentum magnâeneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus &c.* nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter ecclesiastica vnquam reputabitur Sacramenta. quibus verbis tradit nullum futurum Sacramentum Confirmationis, quod simplex sacerdos conferre præsumperit, saltem propria auctoritate; igitur minister ordinarius etiam necessitate Sacramenti est Episcopus. Consequentia probatur: si solum esset præcepti, collatio huius Sacramenti tentata à simplici sacerdote non posset dici irrita. cum enim nō sit intrinsecè actus iurisdictionis, sed Ordinis, si sacerdotalis Ordo per se sufficeret, nulla prohibitione posset impediri valor Sacramenti, si legitima materia cum forma applicaretur à sacerdote ex intentione Sacramenti conficiendi. idem insinuat Urbanus epist. decretali; Melchised.

43.
Necessitate Sacramenti solus Episcopus est ordinarius minister.
Prob. 1. Florent.

Prob. 2. Euseb.

Urban. Melchised. epist.

epist. ad Episcopos Hispaniæ: scilicet *utrumque magnum esse Sacramentum, & sicut unum à maioribus sit, quod à minoribus perfici non potest, ita & maiori veneratione tenendum est.* quibus verbis non tantum indicat hoc Sacramentum non posse licite confici à simplici sacerdote, sed etiam valide. nam si Pontifex tantum vellet inferiores non posse licite hoc Sacramentum conferre propter prohibitionem ecclesiasticam, non apte colligeret maiori veneratione tenendum, quam baptismum: quemadmodum non apte diceretur extrema unctio maiori veneratione tenenda, quam baptismus, si forte constitutione ecclesiastica solis Episcopis reservaretur.

Prob. 3.

Probat 3. si simplex sacerdos suâ autoritate tentaret hoc Sacramentum ministrare, sine scrupulo repeteretur ab Episcopo, & quidè absolutè; ergo signum est indubitatum esse in Ecclesia non posse hoc Sacramentum valide ministrari à simplici sacerdote propriâ autoritate.

Confr. non agnoscitur prohibitio, quæ post tempora Apostolorum simplici sacerdoti per Ecclesiam sit facta, cum Ecclesia non colligat denegari simplici sacerdoti hanc potestatem ex vilo præcepto quod imposuerit, sed ex facto Apostolorum; ex Actis autem Apostolorum non possumus colligere Apostolos peculiari constitutione id sibi reservasse, cum Act. 8. nondum vlla præcepta edidissent; ergo dicendum id venire ex diuinâ institutione, per quam Episcopus sit constitutus ordinarius Sacramenti minister.

Episcopus non consecratur quoad ea quæ sunt Ordinis, nihil potest.

Notandum per Episcopum hic intelligi consecratum; nam ante consecrationem, Episcopus designatus quoad ea quæ sunt Ordinis nihil potest amplius, quam simplex sacerdos; nec potest dici summus sacerdos, cui soli ex officio competit hoc Sacramentum ministrare; vt Melchisedech supra: omnis verò Episcopus consecratus, quamvis excommunicatus, suspensus à diuinis, degradatus, hæreticus &c. valide hoc Sacramentum conferre potest etiam non subdito, quia ad valorem Sacramenti solus Ordo episcopalis sufficit, cum administratio huius Sacramenti non sit intrinsecè actus iurisdictionis.

Episcopus confirmans antequam sit confirmatus, non videtur graniter peccare.

Validè etiam confirmat quamvis Sacramento Confirmationis non sit insignitus, quia constituitur minister & redditur capax administrandi hoc Sacramentum per characterem episcopalem, non verò per characterem Confirmationis. Immo Episcopus hoc Sacramentum ministrans, antequam illud receperit, non videtur grauiter peccare, vt Suarez disp. 38. sect. 1. in fine. quamvis enim deceat Hierarchy esse insignitum militis characterem, huius tamen omisso non videtur malitiam grauem continere; cum neque id ostendi possit ex institutione Sacramentorum, neque ex vilo iure positio.

44.

Obiectio. Cæc. Tol.

Contra resolutionem obijcit 1. Concil. Tolet. 1. cap. 20. dicens, *statutum verò est diaconum non chrismate, sed presbyterum absente Episcopo, presente verò, non nisi ab ipso fuerit præceptum.*

Resp.

Concilium non agere de Sacramento Confirmationis, sed de unctioe baptizati in vertice, de qua agit Innocent. 1. epist. 1. cap. 3. cum ait, *presbyteris seu extra, seu presente Episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet.* pro quo

Olim sacerdotes non solebant baptizare presente Episcopo

Notandum, quod alibi dictum est, olim sacerdotes non fuisse solitos baptizare presente Episcopo, nisi de eius licentia, immo nec alios actus sui Ordinis exercere; vt patet ex epist. Leonis 88.

& proinde non fuisse solitos sine eius licentia chrismate ungere. ad hoc alludit Concil. & de hac unctioe varij intelliguntur, cum docent ex consensu Episcoporum posse presbyterum chrismate ungere, non verò agunt de unctioe frontis, quam constat non posse fieri à simplici sacerdote ex Episcopali licentia.

Obijcit 2. Hieron. epist. de septem gradibus Ecclesiæ docens pertinere ad munus presbyteri, & non solius Episcopi, confirmare.

Resp. illam epistolam non esse Hieron. & varia continere falsa. porro quid Hieron. sentiat, patet ex dialogo contra Luciferianos.

nisi de eius licentia.

Obiectio Hieron.

Resp.

D V B I V M II.

Utrum saltem ex commissione Pontificis simplex sacerdos possit validè hoc Sacramentum ministrare?

V I D E T U R non posse 1. ex Pontificibus & Patribus, qui indicant ministrum huius Sacramenti esse Episcopum, vide plures citatos dub. 1. art. 1. huius quæstionis.

2. Ex ijs qui expresse negant simplicem sacerdotem posse hoc Sacramentum conferre, vt sunt Eusebius & Melchisedech superiori dubio citati, Innocent. 1. epist. 1. cap. 1. Innoc. 3. cap. vñico de sacrâ unctioe §. per frontis chrismationem; proferitur etiam idem Innoc. 3. cap. quanto de consuetudine, & Greg. 9. cap. aqua de consecratione Ecclesiæ, quibus accedunt Damascus epist. 4. de Choroepiscopis, qui benedictiones episcopales, quas tentabant prædicti Chorepiscopi, definit vanas esse & inanes, & Ioannes 3. epist. contra eosdem, ubi dicit: *præsertim cum nullus ex 70. discipulis quorum speciem gerunt presbyteri, legatur donum Spiritus S. per manuum impositionem tradidisse, & post pauca: Apostoli autem præcipiente Domino illisque denuntiante, vt illi, & successores eorum tantummodos per manuum impositionem traderent Spiritum S. nulli unquam ex 70. tradere Spiritum S. per manuum impositionem permisissent, scientes illicitum fore, dantes successoribus exemplum ne unquam talia presumerent &c.*

Suadet pars negatiua.

Primò ex PP & Pontificib.

Euseb.

Melchisedech

Innoc. 1.

Innoc. 3.

Greg. 9.

Damasc.

Ioan. 3.

3. Non minus requiritur minister ad Sacramenti valorem, quam materia, & forma; materia autem & forma ita requiruntur certæ & determinatæ ex diuinâ institutione, vt Ecclesia non possit aliam materiam vel formam planè differentem constituere per modum cuiusdam materiæ extraordinariæ, ergo neque potest deputare extraordinarium ministrum.

Suadet etiam ratio.

Confr. quemadmodum ipsum Sacramentum ex diuinâ institutione procedit, ita ex eadem debet constitui, quicquid requiritur ad illius substantiam, ergo & minister; atqui simplex sacerdos non est minister huius Sacramenti ex diuinâ institutione, ergo non potest esse ex deputatione Pontificis.

4. Collatio huius Sacramenti intrinsecè est actus Ordinis; ergo ad sui valorem requirit certum Ordinem, quem non tribuit deputatio Pontificia, vt constat.

Confr. 1. simplex sacerdos ante huiusmodi deputationem non potest validè hoc Sacramentum conferre, non ex alio capite, quam quia caret Ordine & characterem, per quem constituitur capax hoc Sacramentum ministrandi; atqui deputatio pontificia non tribuit illum Ordinem & chara-

cterem

terem, seu sacerdos etiam post concessionem caret charactere, ergo etiam posita concessionem Pontificis non potest validè hoc Sacramentum ministrare.

Confir. 2. Sacramenta quæ requirunt ministerium consecratum, requirunt veram & realem consecrationem à parte rei, quam non tribuit deputatio pontificia.

Confir. 3. diaconus etiam ex Pontificis deputatione non potest hoc Sacramentum ministrare, ergo nec sacerdos.

Cum Apostoli essent pauci, nunquam hanc potestatem simplici sacerdoti commiserunt, ut ait Ioannes 3. ergo signum est illos sensisse non posse committi, si enim existimassent posse committi, verius est quod in illis Ecclesiis inijs, cum deberent prædicationi vacare, commisissent.

Duplex est de præsentia questione sententia.

Prior negat simplicem sacerdotem etiam ex commissione summi Pontificis posse hoc Sacramentum validè conferre. tenet Durand. dist. 7. quaest. 3. Maior, eadem dist. quaest. unica §. Secundo arguitur. Adrian. de Confirmatione art. 3. Etius dist. 7. citata §. 21. & 22. & plures alij quos citat Henriquez lib. 3. cap. 6. num. 4. littera L, quibus suffragatur Scotus dist. 7. citata quaest. 1. quævis enim initio questionis dicat ministerium huius Sacramenti esse Episcopum vel alium, cui committi poterit, nihilominus respondens ad authoritatem Gregorij, satis ostendit se existimare collationem huius Sacramenti non posse simplici sacerdoti demandari. censet enim dici posse, quod in primitivâ Ecclesiâ non fuerit differentia inter sacerdotes & Episcopos. 2. quod Gregorius potuerit quemlibet sacerdotem illius regionis creare Episcopum, quantum ad actum confirmandi. ubi obiter

Notandum Scotum in hoc secundo dicto loqui improbabilius, cum Episcopus non possit consecrari per solam deputationem, ut est indubitatum in Ecclesiâ, & proinde Gregorius absens non potuerit solâ concessione sacerdotes Sardinia in Episcopos consecrare. 2. vna & indivisibilis consecratio Episcopi in Ecclesiâ agnoscitur, ergo non potuit Greg. sacerdotes constituere Episcopos solum in ordine ad Confirmationem. Prior etiam eiusdem explicatio sustinet non potest, nam quidquid sit de primis Ecclesiis inijs, constat ex Eusebio, Melchiade, Innoc. 1. Ioanne 3. Leone, & alijs ante tempora Gregorij, non omnes presbyteros, fuisse Episcopos, qui potuerint per ordinationem episcopalem hoc Sacramentum conferre.

Secunda sententia tenet summum Pontificem posse hanc facultatem simplici sacerdoti committere, ita D. Thom. hic ad 1. Caiet. ibidem, Vic. num. 50. Scotus dist. 7. quaest. unica art. 11. in conclusione, & communis recentiores, quod Petrus Arcudius lib. 2. cap. 14. & sequentibus fasè prosequitur, docetque quod in Ecclesiâ orientali etiam ante schismâ simplices sacerdotes Sacramentum Confirmationis administrarent. Resp. &

Dico simplicem sacerdotem, id est carens Ordine episcopali, potest ex commissione Pontificis Sacramentum Confirmationis validè conferre. Probatur 1. ex facto. S. Gregorij lib. 3. epistola 26. ad Ianuarium Episcopum Calaritanum: perveni quoque ad nos quosdam scandalizatos presbyteros, quosdam christum tangere in fronte eos, qui christum tangere debent in fronte. Nos quidem secundum consuetudinem Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hæc

de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos christum tangere debeant, concedimus. ubi

Notandum pro eo quod in textu Gregorij habetur, baptizandos, baptizandos, Gratianum dist. 95. can. perveni, & can. presbyteri, de consecratione dist. 4. legere baptizati, baptizatos; similiter & S. Th. hic responsione ad 1. quo modo etiam legitur in exemplaribus Antuerpiæ impressis anno 1615. & melius, cum Gregorius epist. citatâ respiciat ad id quod eodem Ianuario scripserat eodem lib. epist. 9. presbyteri baptizatos infantes signare in fronte non præsumant, sed presbyteri baptizatos tangant in pectore, ubi Episcopi postmodum tangere debeant in fronte.

Ad hanc Greg. autoritatem variè respondetur. 1. etiam si Greg. ageret de Confirmationis Sacramento, non posse ex eius autoritate argumentum pro nostrâ sententiâ sumi, eò quod non concesserit facultatem Sacramenti ministrandi, sed ad vitandum scandalum solum permissu se habuerit, & sustulerit impedimentum quod sua prohibitionem posuerat. hæc responsionem optimè refutat Scotus quaest. citata, & sustineri non posse sine gravissima tam Sancti Pontificis iniuriâ patet. si enim non liceat sacerdoti conferre Sacramentum Confirmationis, neque Sacramentum ab eo collatum possit esse validum, Pontifex sua permissione præbuit sacerdotibus maximam occasionem gravissimè peccandi, & fuit in Sacramentum maximè iniurius, cum permiserit illud attentari ab ijs, qui nullo modo possunt perficere. fuit etiam iniurius in personas, quæ Sacramentum à prædictis Sacerdotibus receperunt, unde gravissimè peccavit. adde quod ex officio teneretur veritatem docere etiam neglecto scandalo, quod inde oriri poterat. ex ipso etiam textu satis constat Gregorium non solum permittere, sed positivè concedere.

Respondet 2. Adrianus Gregorium in eo potuisse errare, sed neque id sustineri potest, cum talis error fuisset Ecclesiæ perniciosissimus: si enim Gregorius concessit potestatem ministrandi Sacramentum Confirmationis, Ecclesiâ sibi potuit persuadere hoc Sacramentum posse à simplici sacerdote ex concessione Pontificis ministrari, quæ proinde erravit, si hæc concessio fuit invalida. qui quidem error in re gravissima, scilicet in qualitate ministri, unde pendet valor Sacramenti, non potest non esse Ecclesiæ perniciosissimus, & proinde Gregorius gravissimè peccasset non quomodo cumque in facto, sed tanquam implicite proponens toti Ecclesiæ doctrinam falsam in re gravissimam, quod dici nequit absque summa sanctissimi & doctissimi Pontificis iniuriâ.

Tertia responsio eaque modestior est, quod non constet Gregorium eo loco agere de Sacramento Confirmationis, in quâ conquiescit Etius §. 22. sed neque hæc responsio magnam habet probabilitatem. 1. enim unde potest constare quod presbyteri præsumerent attentare vñctionem in fronte, tanquam ritum accidentalem baptismi ut vult Etius? cum quoque faciant mentionem vñctionis in fronte, agant de ea tanquam de sacramentali, ut Innocent. 1. epist. sæpe citata cap. 3. & alij. 2. ex ipso Gregorio non diffucile potest contrarium colligi: nam prædicta epist. concedit simplicibus presbyteris, ubi desunt Episcopi, id quod epist. 9. Episcopis reservatur; caeremonia autem accidentalis vñctionis in fronte non debet censeri potiori iure reservata Episcopis, quàm vñctio

in pe-

Facti Gregorij impugnat primò.

Sed defenditur à Scoto.

Impugnatur secundò & defenditur.

Impugnatur & defenditur tertio.

in pectore, quam prædicta epist. 9. concedit presbyteris. ergo si quis attentè utramque epistolam conferat, facillè aduertet Gregorium in priore prohibere, ne presbyteri chrismate tangere in fronte præsumant, quod solis Episcopis competit quando Sacramentum Confirmationis conferunt: in posteriore verò id eis concedere, ubi defunt Episcopi.

Confir. si Pontifex ageret de vactione solùm accidentali baptismi, non fuisset ratio propter quam peculiariter restringeret concessionem, ut scilicet possint signare in fronte ubi defunt Episcopi, quia omnes ceremoniæ baptismi possunt exhiberi etiam præsentè Episcopo.

Ex his omnibus apertè deducitur Gregorium concessisse simplicibus sacerdotibus Sardinia, ut possent Sacramentum Confirmationis ministrare, ubi defunt Episcopi, atque adeò ex facto Gregorij sumitur primum argumentum ad probandum simplicem sacerdotem posse ex concessione Pontificis valide hoc Sacramentum ministrare.

48.
Prob. 2 ex
Florent.

Probarur 2. ex Concil. Florent. decreto de Sacramentis, ubi postquam tradidisset ordinarium ministrum Confirmationis esse Episcopum, quibusdam interiectis dicit, *legitur tamen aliquando per Apostolicam sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Ex quibus verbis deducitur 1. Concil. videri agnoscere Gregorium (ad cuius factum respicit) concessisse facultatem simplici sacerdoti hoc Sacramentum ministrandi. 2. Concilium sentire id fieri posse.

Dicunt aliqui Concilium non affirmare id aliquando factum, sed legi id factum, scilicet in decreto Gratiani, vel apud Scholasticos, qui factum Gregorij iuxta suam opinionem sunt interpretati. Verum id est tacitè magnam imprudentiæ notam Concilio inurere, quod scilicet leuiter faciat mentionem narrationis tam incertæ, nihil circa hoc adnotans, sed non obscurè vnumquemque inducens in eam sententiam, quòd id factum sit, & pontificiâ concessione fieri possit. Certè videtur alienum à gravitate Patrum Concilij generalis moueri tam leui narratione, eamque in suo decreto inferere, & quidem grauius verbis, ex rationabili & urgente admodum causa.

49.
Prob. 3.
Alex. 6. &
Greg. 13. vi-
dentur hoc
ipsum pro
Indijs in-
dulsisse.
Suar.
Henriq.

Probarur 3. Alexander 6. & Gregorius 13. dicuntur hanc potestatem pro Indijs concessisse, quod non potest prudenter negari, cum de Gregorio referatur ab authoribus fide dignis tanquam res suo tempore facta, ut Suarez disp. 36. sect. 2. & Henriquez de vtroque cap. 6. citat. num. 4. littera N. ergo Pontifices agnoscunt se habere potestatem committendi administrationem huius Sacramenti simplici sacerdoti, quod proinde non videtur vllâ probabilitatis specie posse negari, nisi dicatur eos grauissimè errare & Ecclesiam in re grauissima decipere.

Confir. Alexander 6. qui gessit Pontificatum aliquanto tempore post Concilium Florent. petiit eiusdem Concilij decreto moueri ad hanc facultatem, concedendam. his addi potest quòd ipsemet Adrianus 6. dicatur anno 1521. 25. Aprilis concessisse pro Indijs & regionibus, in quibus non sunt Episcopi, ut sacerdos regularis ordinis Minorum posset confirmare, cuius concessionis authenticum dicitur esse Hispali in monasterio sancti Francisci. ita refert Henriquez supra lit.

tera 1. Confir. ex quadam responsione Cardinalium in can. 3. de Confirmatione sess. 7. Concil. Trident. etiam Abbates ex privilegio sedis Apostolicæ, de consensu tamen Ordinariorum, hoc Sacramentum Confirmationis conferre possunt.

Petes 1. utrum Pontifex legitime electus, nondum in Episcopum consecratus, possit hanc potestatem simplici sacerdoti cōcedere? Negat Palud. dist. 25. quæst. 1. art. 2. sed vt optimè Adrian. id non videtur consequenter dictum; vnde censetur Soto art. 11. citato responsione ad 5. Pontificem legitime electum etiam ante consecrationem id posse, quia ei competit ratione plenitudinis potestatis, quam habet in Christi Ecclesiam, quam plenitudinem potestatis habet etiam ante consecrationem.

Confir. præcisè per consecrationem episcopalem non est eminentior ceteris Episcopis, sed per legitimam electionem.

Petes 2. an requiratur causa, ut hæc facultas concedatur, & factum teneat? Negat Henriquez cap. citato num. 4. quia alioquin res esset obnoxia multis periculis, & homo meritò posset esse anxius num Sacramentum valide conficeret vel reciperet.

Hæc sententia est probabilis, quam etiam in praxi Suarez non audet reprobare disp. 36. sect. 2. §. tertia pars. quia de hac re non videtur iudicandum sicut de votis, in quorum relaxatione fit remissio iuris competentis alteri, qui non censetur in eam remissionem consentire, nisi causa saltem bonâ fide existimetur subesse, cum hic nulla sit dispensatio & relaxatio iuris alieni, sed simplex deputatio ad aliquod munus iuxta facultatem Pontifici ex Christi institutione traditam: quidquid sit de valore, Pontifex non solet sine causa honesta hanc potestatem simplici sacerdoti concedere.

Petes 3. an hæc facultas concessa simplici sacerdoti expiret mortuo Pontifice, vel si concessa sit ex causa, eâ cessante expiret?

Resp. si non sit expressè limitata, vel verba iuxta communem Doctorum interpretationem non restringant ad vitam concedentis, non expirare. ita Henriquez supra qui littera I. plures citat. tenet etiam Suarez sect. citata §. rursus inquiri solet. quia hæc concessio est gratia & fauor, fauor autem absolutè concessus communi Doctorum sententiâ non expirat per mortem concedentis, vel cause desitionem, cum non necessariò ab his pendeat vt conferretur. quod in plurimis materijs tenent Doctores.

Petes 4. an hæc facultas possit alicui competere ex consuetudine?

Resp. negatiuè. ita communiter Doctores, & patet ex cap. quanto, de consuetudine, ubi Innoc. 3. dicit: *peruenit ad audientiam nostram quòd quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim, ea Sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum temporibus fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis &c. solam consuetudinem præcedentes. mandamus quatenus omnibus presbyteris districte prohibeas, ne talia de cetero sua temeritate præsumant docere, quæ hoc Sacramentum inaniter conferri, scilicet vi consuetudinis. ex quo patet quòd hæc potestas non possit consuetudine acquiri, vel quia Pontifex obstitit consuetudini, vel quia deputatio hac in re non acquiritur consuetudine.*

Ex quo patet hoc capitulum minùs solidè adferri pro priori sententiâ initio dubij relata, cum Pontifex

Pontifex non velit eam potestatem ita reſeruari Episcopis, vt etiam ex conſeſſione Pontificis nequeat pſbyteris competere, ſed quod non poſſit competere vi conſuetudinis; quod oſtenditur ex eo quod Pontifex dicat pſbyteros Conſtantinopolitanos, quos redarguit, id pſumere, mandetque ne de cetero ſua temeritate id pſumant: qui autem aliquid facit ex conſeſſione Pontificia non poſteſt dici pſumere.

Petres 5. an Episcopus in ſua diocēſi poſſit ſimplici ſacerdoti hanc potestatem cōcedere. Affirmant aliqui vt reſert Valent. diſp. 5. quæſt. 2. puncto 2. ſed de re ipſa nullum poſteſt eſſe dubium, cum c. aqua, de conſecratione Eccleſiæ, Greg. 9. apertè dicat: licet Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis exiſtunt, quæ ordinis tamen episcopalis ſunt, non poſteſt inferioris gradus clericis demandare.

Ex quo patet conſecrationes ab Eccleſia introductas quæ ſolis Episcopis ſolent competere, non poſſe per Episcopum ſimplici ſacerdoti committi, vt ſunt conſecratio calicis, altaris, templi, virginis, reconciliatio Eccleſiæ.

Uterius patet hoc cap. impertinenter prior ſententiæ allegari, cum Pontifex non velit decernere ſe non poſſe demandare ſimplici ſacerdoti conſecrationem, ſed tantum id non poſſe Episcopos. Conſir. quia etiam agit de conſecrationibus ab Eccleſia inſtitutis, v. g. de reconciliatio Eccleſiæ, quas ex ipſa praxi quotidiana conſtat poſſe per Pontificem ſimplici ſacerdoti demandari. Sed licet hæc ita ſe habeant:

Dubitari adhuc poſteſt, num id oriatur ex ſolo præcepto Eccleſiæ, an verò ex diuina inſtitutione? videtur enim ex ſolo præcepto Eccleſiæ oriri quod Episcopus non poſſit eam facultatem in ſua diocēſi delegare; nam Episcopos in ſua diocēſi videtur id totum poſſe præſtare quod ſummus Pontifex in tota Eccleſia, quia tamen in ſua gubernatione lubet Pontifici, Pontifex Episcopo poſteſt prohibere, ne hanc potestatem deleget.

Verum communiter Doctores ſentiant id oriri ex diuina inſtitutione, quod inſinuat S. Th. ad 1. & alij, qui rationem aſſignant plenitudinem potestatis in regenda Eccleſia, quæ in ſolo Pontifice reſidet: nec verum eſt quod aſſumitur, nam etiam ſepoſita omni prohibitione Pontificis, Episcopus non poſteſt ea infallibilitate res fidei deſignare, quæ poſteſt ſummus Pontifex &c. Chriſtus enim primaria quadam noſtre religionis capita ſoli Pontifici commiſit, cui commiſit regimen totius Eccleſiæ.

Aduerte quod licet ex ſola prohibitione eccleſiaſtica id denegatum eſſet Episcopis, ea tamen prohibitio tanta eſſet virtutis, vt eorum conſeſſionem poſſet irritam reddere, atque adeo communi ſenſu reddatur irrita per capitulū, aqua, citatum. nā quamuis collatio Confirmationis ſit exercitium Ordinis, ipſa tamen cōceſſio eſt actus iurisdictionis, quam proinde ſummus Pontifex poſteſt efficaciter impedire.

Ad argumenta initi Gallata.

Reſp. ad primum petiitum ex autoritate Pontificum Conciliorum & Patrum, dico eos qui docere Episcopum poſſe per manus impositionem dare Spiritum S. non tamen negare ſacerdotem idem poſſe ex conſeſſione Pontificis.

Ad ſecundum Reſp. Pontifices negantes ſacerdotem poſſe hoc Sacramentum miniſtrare, intelligendos propriā autoritate, cum id ſemper vigeant; non verò agant de noſtro caſu cuius non

dabatur ocaſio dubitandi eorum tempore, & peculiariter in hunc ſenſum accipienda ſunt quæ Damafus epiſt. citata tradit de Chorepiscopis, vt ſatis conſtat. pro quo

Notandū olim fuiſſe quosdā nominatos Chorepiscopos, qui in locis paulò celebrioribus, in quibus tamen non erant Episcopi, præerant cum quadam præeſtientiā ſupra ceteros ſacerdotes: qui cum non eſſent Episcopi conſecrati (vt patet ex Damaso, Ioanne 3. & Leone epiſt. 88.) munia tamen episcopalia indebitè exercebant, virgines conſecrabant, Sacramentum Confirmationis conferrebant, ſimiliter Ordinem diaconatus & ſubdiaconatus, quorum præſumptionem redarguunt Damafus & Leo epiſt. 88. citata, nō quod hæc munia obirent Pontifici conſeſſione, ſed quod propriā autoritate, cum eſſent ſimplices ſacerdotes. de quibus etiam intelligitur Ioannes 3. citatus. circa cuius dicta, quæ videntur magis vrigere,

Notandum 2. Ioannem 3. non negare Pontificem poſſe hanc potestatem concedere, ſed Episcopos. ſcribit enim ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, quos reprehendit eo quod hac in parte viderentur nimium Chorepiscopis cōmiuere, & tacite viderentur ſibi arrogare potestatem eiſdem Chorepiscopis permittendi exercitium functionum episcopaliū, & peculiariter impositionis manuum in Confirmatione, docetque Apoſtolos Domino illis præcipiente & denuntiante, vt ipſimet manus imponerent, nulli ex 70. permiſiſſe, vt per manus impositionem darent Spiritum S. dantes ſuccelloribus exemplum, ne vnquam talia præſumerent. ex hoc enim diſcurſu conſtat non agere de ſummo Pontifice, vel de Apoſtolo Petro, ſed Episcopis & ceteris Apoſtolis. ex cuius Pontificis doctrinā conſirmatur id, quod diximus circa vltimam petitionem, ſcilicet Episcopo diuinā inſtitutione denegatam potestatem committendi ſimplici ſacerdoti collationem huius Sacramenti.

Dices. Apoſtoli tanquam Chriſti legati habebant parem cum Petro potestatem, nam poterant Eccleſias fundare, Episcopos creare &c. ergo iuxta dicta potuiſſent etiam collationem huius Sacramenti committere ſimplici ſacerdoti, quod negat Pontifex; igitur nec Petrus, & proinde nec ſummus Pontifex.

Reſp. concedendo eos potuiſſe ex delegata potestate, ſed nego Pontificem de illis egiſſe ſecundum eam conſiderationem, ſecundum quam non habuerunt ſuccellores, quos inſtruerent. nam Episcopi non ſuccedunt Apoſtolis in potestate illis delegata, ſed in gradu episcopali, & in potestate Apoſtolis competente ratione illius gradus.

Quamuis autem Apoſtoli extraordinariā potestate hanc facultatem potuiſſent concedere, grauib tamen de cauſis id non fecerunt. i. ne viderentur tanquam Episcopi & potestate ordinariā id faſſe, & ita particulares Episcopi inde ſumerent occaſionem hanc facultatem concedendi, vt Ioannes 3. docet epiſt. citata. 2. quia illis initijs non iudicabant cōueniens hanc potestatem delegare, ſimmo iudicabant magis congruū, vt ipſimet priores Eccleſiæ hoc Sacramentum miniſtrarent ad maiorem eiſdem Sacramenti deuotionem & reuerentiam excitandam in animis fidelium: nam ferè magis mouemur ijs, quæ ab ipſis Eccleſiæ Prælatiſ ſunt, quā ijs, quæ ſunt ab inferioribus. per quæ patet reſponſio ad quintum argumentum.

Damasus.

Dignitas Chorepiscoporum.

Eorum dem præſupio.

Explicatur Ioannes tertius Pontifex.

Quomodo ſe geſſerint Apoſtoli in viſu eius potestatis.

Ad tertium resp. neg. consequentiam; ad confirmationem dico venire ex diuina institutione quod sacerdos possit extraordinarie esse minister huius Sacramenti, mediante scilicet deputatione Pontificis. quod ergo in eadem Confirmatione dicitur, quod diuina institutione non sit minister huius Sacramenti, verum est, si intelligatur, quod non sit ita minister, ut absque alia deputatione valide possit exire in actum, si vero intelligatur, quod diuina institutione nullo modo sit constitutus minister, ita ut neque ab alio possit deputari ad hoc Sacramentum ministrandum, negatur. nam ex diuina institutione descendit quod Pontifex possit sacerdotem deputare. vnde

Duplex
huius Sa-
cramenti mi-
nister a
Christo in-
stitutus.

Notandum quod Christus videatur duplicem huius Sacramenti ministrum instituisse, vnum qui vi sui gradus ita sit expeditus in actu primo, ut sit proxime capax ministrandi hoc Sacramentum, neque possit vlla potestate humana impediri, quod minus subiecto capaci illud ministraret. & is est Episcopus consecratus. Alteri qui habeat vi sui gradus inchoatam potentiam, non possit tamen exire in actum sine deputatione summi Pontificis, cui Deus concessit peculiarem potestatem deputandi.

Ex quo patet totum id provenire ex diuina institutione, neque Pontificem per huiusmodi deputationem dispensare in lege diuina, neque mutare ministrum huius Sacramenti, neque propria autoritate addere ministrum extraordinarium, sed iuxta potestatem sibi factam.

Simplex
sacerdos vi
suae ordina-
tionis
non est pro-
ximè potes
ministrare.

Pater vterius quomodo eo non obstante Episcopus possit dici minister ordinarius necessitate Sacramenti, & non tantum praecipit, quia quod simplex sacerdos communiter nequeat hoc Sacramentum ministrare, non venit ex prohibitione humana, sed ex eo quod vi suae ordinationis non sit proxime potens exire in actum, quamvis nulla intercederet prohibitio.

Dices nihil simile cernitur in materia vel forma, igitur in presenti id non est asserendum.

Resp. neg. consequentiam, nam in ijs quae pendet ab alterius voluntate non licet argumentari a simili in nostro casu ita factum esse colligimus a posteriori ex varijs Pontificum concessionibus, & ex discursu Concilij Flor. de materia vero, vel forma nihil simile habemus, vnde id de illis colligamus.

51.

Ad quartum Resp. concedendo administrationem huius Sacramenti esse actum Ordinis, atque adeo requirere Ordinem, & quod inde sequitur non posse per Pontificem cuius Ordine carenti committi huius Sacramenti collationem: non tamen omnimoda necessitate requirere characterem episcopalem, sed contentem tali characterem posse deputari. quamvis ergo qui illum Ordinem & characterem non habet, non possit sua autoritate exire in actum, quia non habet proximam potentiam moralem; accedente tamen deputatione bene poterit, si habeat Ordinem, per quem consecratur habere inchoatam potestatem, quae per deputationem alterius consecratur compleri. vnde in forma

Resp. non semper requirere eum Ordinem per quem sit proxime capax sine alterius deputatione exire in actum. ex quo patet ad primam confirmationem, ad quam dico simplicem sacerdotem non posse ante deputationem valide hoc Sacramentum ministrare, quia caret Ordine, quo sit proxime potens exire in actum.

Deputatio
consecratur
moraliter
sacerdotale

Dices haec deputatio nihil ponit in deputato. Resp. nihil ponere physicum, moraliter tamen conferri eleuare characterem sacerdotalem ad hanc

functionem, seu illum complere quandiu ipsa perseverat. quod facile concipi potest, si quis aduertat characterem non esse potentiam physicam & physicum principium ipsius Sacramenti, sed morale, seu signum aliquod, quo homo insignitus deputatur ad certam functionem sacram, quae deputatio fieri potest extraordinarie per moralem eleuationem characteris sacerdotalis praecedentis, per quam deputationem seu moralem eleuationem character, qui erat potentia inchoata & incompleta, censeatur moraliter compleri, & fieri proxima.

Dixi *quandiu perseverat*, quia reuocata concessione, simplex sacerdos non plus potest, quam antequam accederet Pontificis deputatio.

Sed contra hoc facere videtur secunda confirmatio in argumento posita. ad quam

Resp. etiam ad Ordinem conferendum non semper requiritur eam consecrationem per quam aliquis sit proxime potens valide Ordinem conferre, ut suo loco dicitur. Ad alia concedo requiri eum Ordinem & realem consecrationem per quam minister quantum est ex vi Ordinis semper sit proxime dispositus ad Sacramentum valide conficiendum, ita ut per deputationem non possit supplere id quod deest, quia character requisitus est character sacerdotalis, qui ita est necessarius, ut nullus alius accedente deputatione possit sufficere. cuius rei ratio suppositis fidei principijs facile potest assignari. nemo nisi sacerdos potest sacrificium offerre, in noua autem lege nullus sit sacerdos sine certa consecratione, ergo nullus carens huiusmodi consecratione potest deputari ut Eucharistiam consecraret, cuius consecratio est sacrificium vel pars sacrificij. rursum nullus potest habere potestatem sanctificandi corpus Christi mysticum, seu fideles per consecrationem Sacramenti, qui non habet potestatem in Corpus Christi verum; haec autem potestas, ut ex iam dictis patet, non potest haberi sine reali consecratione sacerdotalis; ergo non sacerdos non potest etiam ex deputatione sanctificare fideles per consecrationem Sacramenti, quod requirit ministrum consecratum, & proinde patet eum non posse deputari ad ministratio extremam vnctionis vel penitentiae non sacerdoti, seu non valenti Corpus Christi verum consecrare.

Ex quibus facile patet responsio ad tertiam confirmationem, ad quam respondet Glossa in dictum can. *peruenit* dist. 95. diaconum posse conferre Sacramentum Confirmationis, immo & diaconatu, quia illi habet. sed haec Glossa sententia falsa est, quia & passim quoad utramque partem reijcitur. vnde dico hanc facultatem non posse concedi diacono, quia is ex suo gradu non est pastor: sacerdos vero ratione sui characteris in eo gradu constituitur, quo possit in pastorem assumi, potestque vi suae consecrationis plebem sanctificare per Sacramenta, quo ad sui valorem requirunt consecrationem ministri, & ratione sui gradus & Ordinis est inchoatus Episcopus. vnde supremus pastor potest ei variis committere, quae ordinarie solis Episcopis competunt, & quae alijs inferioribus committi nequeunt. hinc dicimus quod de plenitudine potestatis possit sacerdoti concedere, ut milites Christi instituat, immo & inferiores Ecclesiae ministros, ut suo loco dicitur. sed oritur

Difficultas num Pontifex posset deputare sacerdotem solum priori ordinatione consecratum, non vero secundam, in qua datur potestas remitti de peccata? Sors iuxta sua principia dist. 24. quaest. 1. art. 4. conclusionem 5. ubi essent impositionem manuum

num

miu & verba correspondentia non esse de essentia Ordinis sacerdotalis, facile concederet Pontificem posse, quod etiam facile colligi potest ex ijs que tradit Palud. eadem dist. quaest. 1. responsione ad 4. & dist. 25. quaest. 1. art. 2.

Sed cum verius sit hanc impositionem manuum etiam pertinere ad essentiam ordinationis, & hominem absque ea non esse completum sacerdotem, neque vi ordinationis habere ullam virtutem sanctificandi fideles per confectionem Sacramentorum, quae in usu consistunt, verius est ordinatum solum per verba, quibus datur potestas sacrificii offerendi, non posse ex commissione Pontificis hoc Sacramentum conficere, quia sanctificatio per hoc Sacramentum requirit potestatem Ordinis in corpus Christi mysticum, quia caret talis sacerdos, & licet bene legatur diaconus nullam habet potestatem in corpore Christi verum, ergo nec potest habere in corpore Christi mystici modo explicato; non tam sequitur in nostro casu; sacerdos habet potestatem in corpore Christi verum, ergo & in mysticum, quia ex positione causae remotae non ponitur effectus quamvis, bene negetur ex eiusdem causae negatione.

ARTICVLVS XII.

Vtrum ritus huius Sacramenti sit conueniens?

AFFIRMAT, quod patet ex generali doctrina tradita in Concilio Trid. sess. 7. can. 13. de Sacramentis in genere.

Notandum 1. praeter ritus essentielles huius Sacramenti, de quibus in precedentibus dictum est, quosdam adhiberi ad decentem administrationem huius Sacramenti vel ad spiritualem significationem spectantes, qui praescribuntur in Pontificali Romano, ut quod Episcopus debeat indui vestibus sacris ad hoc Sacramentum ministrandum. 2. quod ante ritum essentialem quaedam preces fundantur, & fiant benedictiones. 3. quod caput confirmati linteo cingatur. 4. quod Episcopus leuem alapam det confirmato dicens: *pax tecum*, quod fit ad significandum confirmatum debere esse paratum ad iniurias pro Christi nomine ferendas. vbi

Aduerte 1. omissionem alapae non videri peccatum saltem mortale, sicut nec omissionem cerei, ut plures notant.

Aduerte 2. lintheum relinquere ad septem dies, vel tres, vel ad aliud tempus, pro varia locorum consuetudine, ut chrisma exsicceat, quo tempore propter chrismae reuerentiam deest faciem non abluere, potest ex causa statim frons abtergi, videri potest Sa verbo Confirmationis num. 17. Solet etiam & debet patrum adhiberi, de quo dictum est art. 10.

Notandum 2. quamvis sit decens hoc Sacramentum ministrari, & suscipi a ieiuno, nullam tamen huius rei esse obligationem, nam in Pontificali Romano dicitur ieiunium tantum requiri ex honestate, & merito nulla talis imponitur obligatio, cum Episcopi raro suas dioeceses peragrent, & contingat interdum paruo tempore herere in locis remotioribus, ad quos proinde multi accedunt hoc Sacramentum recepturi; qui non omnes possunt tempore matutino & ieiuni Sacramentum recipere, neque ipsi Episcopi possunt ieiuni propter concurrentium multitudinem illud ministrare. unde canon, *ut ieiuni*, qui citatur ex Concilio Aurelianensi, & can. *ut Episcopi*, ex Meldensi, vel solum continent directionem, cum nullum in eis sit verbum, quod indicet strictum praecceptum; vel non habent vim pro Ecclesia vniuersa.

Potest etiam hoc Sacramentum conferri post prandium, & quamvis conferri debeat decenti loco, non tamen necessarium in Ecclesia, ut varij auctores notant.

Denique hoc Sacramentum potest administrari in locis generali interdicto subiectis, patet cap. *responsio*, de sententia excommunicationis, & cap. *quamquam*, eodem titulo, in 6. quibus cap. sermo est de interdicto generali locali. verisimile etiam est potest conferri in loco specialiter interdicto, nam cap. *quoniam*, de tali interdicto probabiliter potest intelligi.

QUESTIO LXXIII.

De Sacramento Eucharistiae secundum se.



QUAMVIS Sacramentum Eucharistiae dignitate, & excellentia sit primum, ut pote non tantum operatiui gratiae, sicut cetera legis nouae Sacramenta, sed etiam ipsum totius gratiae fontem Christum Dominum vere, realiter, & substantialiter continens, & in se complectens auctorem aliorum Sacramentorum, quae consideratione merito primo loco inter Sacramenta de eo tractari deberet; quia tamen iuxta antiquam Ecclesiae consuetudinem tertio loco conferebatur, idcirco Scholastici, & in his D. Th. sanctos Patres imitati de eo tertio loco disputant. quoniam Concilio Flor. & Trid. tertio loco reponunt iuxta eundem antiquam Ecclesiae morem, quo baptizatis seu spiritualiter genitis dabatur Confirmatio Sacramentum perfectionis, seu per quod perfectio virilis spiritualis acquiritur, tum succedebat Eucharistia, quae est instituta, ut sit nutrimentum perfectorum, quo viri & spiritualiter perfecti nutrirı debeant. vide Damascenum lib. 4. de fide cap. 14.

ARTICVLVS I.

Vtrum Eucharistia sit Sacramentum?

AFFIRMAT, quod declarat congruentiam aliquoties allatam, sicut in vita corporali non tantum datur generatio, per quam homo acquirit vitam, neque solum datur augmentum quo homo perducitur ad perfectionem vitae, sed etiam requiritur alimentum quo conseruetur in vita; ita in vita spirituali, ad quam Sacramenta sunt à Christo ordinata, non tantum dandum est Sacramentum baptismi per quod homo spiritualiter generetur, neque tantum adiungenda Confirmatio per quam spiritualem perfectionem virilem acquirat, sed etiam oportuit esse Sacramentum Eucharistiae, quod est spirituale alimentum spiritualem animae vitam conseruans. vbi obiter

Aduerte 1. vocem, *oportuit*, apud S. Th. non significare omnimodam necessitatem, sed conuenientiam, quia constat tum ex dictis, tum ex summa Dei libertate in actionibus ad extra, eum nulla necessitate adigi posse, ut aliquid extra se faciat in ordine naturae vel gratiae, neque tantum eo sensu Sacramentum Eucharistiae non fuit necessarium, sed etiam posita voluntate instituendi aliqua Sacramenta, nam Christus Dominus nulla necessitate adigi potuit ad hoc Sacramentum instituendum, etiam posito decreto aliqua Sacramenta instituendi.

Aduerte 2. augmentum corporale non comparari exacte ex vna parte cum nutritione respectu Confirmationis, & Eucharistiae ex altera

Potest hoc Sacramentum conferri post prandium.

C. responsio.
C. quoniam.

Venerabile Sacram. cur tertio loco numeretur.
Flor.
Trident.

Resp. affirm.
Congruentia D. Th.